

ego; & ille : tam cito? Quidni, inquam, cum vitam traduxerim legendo, commentando? Et ille : Quid sentis? Eris Turcus? Multum, inquam ego, longinquus sum ab hac sentētia : nā liber vester principia & fines habet de Mehemeto & citat Alcoranū. Media omnia continēt tractatū de virtutibus. De virtutib. autem ciuilibus vellē legisses scriptores Græcos & Latinos eos, qui fuerūt ante natū Christū & Mehemetum. De Mehemeto autē, nisi Alcoranus abs te bene vertatur, postquam dicis fuisse a Christianis male versum, & ego bene versum, legero, quid dicere possim? Est tamen de quo disputem tecum de annis, quod non videatur annus 981 transmigrationis Mehemeti respondere anno natiuitatis Christi 1573 posse, nisi velis facere vt primus annus transmigrationis Mehemeti fuerit annus natiuitatis Christi 631, quod tu negas, et dicis annum primum trāsmigrationis incidisse in annum 592. Nam, si annus turcicus est lunaris & dierum 354, quomodo potest respōdere annuatim annis Christianorum, qui sunt solares & dierū 365 hor. 6? Ita disputationem de annis exorsus, coegi illum melius cogitare, & dixit : Audiui te doctum esse & perspicacis ingenii & multæ lectionis. Ita ego consulebam vt ad Mupthi dededucerem, ad familiarem confabulationem, nam idem me sperabam facturum, quod Chii cum Secho fecerā. Nam in- (*page 21* :) stitutum Pauli præ oculis habebam, qui se eum Deum prædicare dicebat, de quo ille scripsisset : Dei genus sumus. Ita ego ad illum Deum & Christum, quem celebrabat Alcoranus, deducere conabar. Nam Turci Alcoranum hunc veluti rudes conciones Mehemeti dicunt esse. Illi autem nō insistunt, nisi qua de Deo & Christo disputat, alia prætereunt. Vtinam commodum tempus fuisset colloquendi cum supremo bassa & supremo iudice!

Reuersus huc sum die 12 augusti, & ecce vnus & alter cum literis ex Polonia, in quibus narrabatur a quodam Gregorio Paulo auditum fuisse, nescio vbi & abs quo aut quibus, me Turcum esse factum, cum in œnopolio potarem Constanti-nopoli cum quibusdam Turcis. O miseros homines! Atqui ego, si vmquam alias numquam ad bibendum œnopolia sum ingres-sus, hoc maxime ibi, ne existimationem meam Chii, Constan-

